



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Manna Animæ Sev Exercitium Facile Simul Et Fructuosum
Illis, Qui Quoquo Modo Vacare Orationi Desiderant**

Segneri, Paolo

Dilingæ, 1699

Appendix Pro Festis Mobilibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48281](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48281)



APPENDIX

PRO FESTIS MOBILIBUS.

Feriâ quintâ Majoris Hebdomadæ.

Sciens JESUS, quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexisset suos, qui erant in Mundo, in finem dilexit eos. Joan. 13. v. 2.

1. **C**onsidera, quantus fuerit Christi in suos amor. Tantis scilicet, ut omnem pro illis vim suam & conatum exereret. Unde discessurus à suis, ut ad Patrem rediret, exequi id noluit, nisi prius modum inveniret ineffabilem, quo discedere simul posset, & remanere. Id quod effectum est institutione sanctissimi Sacramenti. En igitur causam, quare hoc loco præcipue dicat Evangelista: *Sciens JESVS, quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexisset suos, qui erant in Mundo, in finem dilexit eos*: non solum, quia in finem usque amare non destitit, sed quia fines omnes, si ita dicere fas est, amando transcendit, faciendo pro ipsis res inauditas, incredibiles, & majores his, quæ in Amante vel fabulis fingi poterant. Et tu ad tantum amoris excessum non confunderis? dic, quæso, quas tu artes excogitasti, quas industrias, novitates, ne à Christo dif-

cederes, dum ille ad eum prodigaliter invenit, ne discederet à te: & tamen quis tu, quis Christus?

2. Considera parum fore, à Christo flagrantissimo in suos amorem: rursus ad Patrem reperisset modum remanendi cum ipsis in hoc mundo, nisi & modum invenisset, quod inde ad eundem Patrem locum illum pertraheret. & ideo ecce, carpitur dicatur: *Sciens JESVS, quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexisset suos, qui erant in Mundo, in finem dilexit eos*, quia dilexit, ut faceret eos consequi finem suum ultimum. Ita est, statim si erat integro dolorum, opprobriorum, ærumnarum diluvio. Sed hæc exurgens vis amoris, quod non se, quantumvis omni dignum æstimatione, sed suos tantum spectaret. *Dilexit enim, & tradidit semet ipsum pro nobis, oblationem & hostiam DEO.* Oblationem per ea, quæ egit in vita, hostiam per ea, quæ

quæ in morte est passus. Eph. 5. v. 2. Tu quid agis, dum credis hunc esse finem tuum, transire ex hoc mundo, ut Christum invenias, ubi ille sedet ad dextram Patris? quomodo satagis hunc consequi finem? Prodis sane ô infelix, te non amare, nisi pari curâ & quocumque impendio ejus te reddere securum studeas. *Cupimus unumquemque vestrum eandem ostentare sollicitudinem ad expletionem spei usque in finem.* Hebr. 6. v. 11.

3. Considera amorem hominum ignem esse, qui multò solet esse flagrantior in principio sui fervoris quam in progressu, nam in progressu si non omnino extinguitur, saltem elanguescit. Talis non fuit amor Christi, fuit ille quoad substantiam semper æqualis, nisi malis dicere crevisse semper si non quoad substantiam, saltem quoad effectum. Unde vides, eò demum induxisse Christum, ut res faceret cunctorum animis obstupescendas: ut prostratus ad pedes inopum piscatorum eos singulis lavaret, ut cum ipsis ultimam carnem sumeret, ut in ea se ipsa præberet in cibum, intimè se illis conjungeret, & in eandem quasi coalesceret substantiam. & tamen an non sub idem tempus jam eorum sensit perfidiam, quibus tanta beneficia præstabat? satis sit dicere, quòd noverit inter eos esse, qui statuerit jam jam paucis denarijs illum proderet. & tamen id impedire non potuit, quòd minus eos pergeret amare, datis in dies teneræ dilectionis signis luculentioribus: *cùm dilexisset*, non ideo cessavit,

aut pertæsus, magis *dilexit*. Quid tu ad hæc, qui credis majus esse humanis viribus, ut ames non redamantem? Itaque si cesses benefacere proximo, quia is inhumanus & ingratus est, scias te longè majus tibi quam ipsi inferre nocumentum. ille caret eo bono, quòd benefaciendo præstares, & tu exercitio virtutis omnium, quæ in DEO resplendent, præclarissimæ, quòd benefaciat etiam ingratis: *Solem suum oriiri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos.* Matt. 4. v. 44.

4. Considera, quomodo ad demonstrandam teneritudinem affectûs ad eò stupendam erga discipulos, noluerit hic Christus eos ab Evangelista Discipulos, sed dulciore vocabulo suos appellari. *Cùm dilexisset suos, quæ erant in Mundo, in finem dilexit eos.* Omnes homines, quia ab illo sunt conditi, dici possunt sui, quis nescit: *In propria venit, & sui eum non receperunt.* Jo. 1. Sed ut hoc titulo sint sui, nihil sanè conferunt homines: tunc aliquid conferunt, quando propriâ dedicatione fiunt sui: quidam dedicatione magis generali, qualis est omnium, qui ipsi adhærent per fidem: alij dedicatione magis particulari, qualis est eorum, qui illum propius sectantur, perfectè ejus consilia adimplendo. Tales erant discipuli, & hoc sensu ab Evangelista hoc loco dicti sunt sui. Vide ergo, an non ardentè eos amaverit, quia si etiam pro his, qui absque ullo prævio voluntatis concursu erant sui, inter duos latrones moriturus erat in Cruce, quid ab illo non poterant sibi polliceri

polliceri, qui non erant nati tantum sui, sed & facti, atque modo facti quam optimo? ex horum numero tu quoque esse pones, nec curas tamen? quam pulchrum est dicere posse Christo: volo totus esse tuus! sed talis esse

si velis, probe intellige, quid requiratur, nempe ut animus eodem Spiritu. *Siquis Spiritum Christi non habet, non est eius.*

Rom. 8.

* * *

Die Parasceves.

Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccata mortui, Justitia vivamus. 1. Pet. 2. v. 24.

1. **C**onsidera, qui fuerit finis Christo propositus, quando hodie inter dolores adeo acerbos in Cruce expiravit. non alius, quam ut mortui peccato deinceps viveremus Integritati, Innocentia, Sanctitati. *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui Justitia vivamus.* Non solum ait, ut non peccemus amplius, sed ut praterea finis *mortui peccatis.* Qui mortuus est Mundo (uti sunt Religiosi, postquam vota sua solennia nuncuparunt) non censetur jam esse in Mundo. & ideo si in aliqua, quam deseruerunt, familia faciendus exempli gratia contractus Matrimonij, census, vel emptionis, ad eum servandum, de alijs cura est. Velle in ejusmodi occasionibus eorum uti obsequio perinde foret, ac si quis vellet uti mortuis, qui jam illati sunt tumulo. Tales nos esse oportet respectu peccati, quasi mortuos. *Existimate vos mortuos esse peccato.* Rom. 6. v. 1. Unde si nostro consulendum est commodo, consulatur sane, sed a-

liã viã: peccando id fieri amplius non potest. *Qui mortui sumus peccatis, quomodo adhuc vivemus in eis?* Rom. 6. v. 2. ò mortem exoptandam! Rehe tamen in tua est potestate. Ideo Christus in illo pendit ligno durissimum, ut hanc mortem tibi impetraret: Et tu eam averfari? Vive sane peccato, si tibi est animus diutius illud perpetuandi. Sed vide prius, quam horridum sit malum, quod agis. Retulit tibi inutilem tantam copiam sanguinis pro salute tua fusi à Christo.

2. Considera, si adhuc peccantia, tingat post mortem Christi, ideo peccari, quia nondum creditur, aut certe nondum capitur, quantum fuerat, à quo ut nos liberaret, necesse fuit ipsum DEI Filium tantos perferre cruciatus. *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum.* non aliam, sed ipse, ipse. Dicit ipse, quia si carmen assumpsissent omnes Angeli, quanta tamen tantus est numerus, & excellentia, & omnes essent in patibulo mortui, eodem modo, ut nunc Christus

lanam

laniati & excarnificati, nec unum exolvissent denarium in compensationem peccati. necessaria fuit in hunc finem propria persona JESU Christi, veri DEI simul & Hominis. *Ipsè est propitiatio pro peccatis nostris.* 1. Jo. 2. Et quamvis certum omnino sit, unâ sanguinis stillâ ab ipso profusi, imò uno gemitu, vel suspirio eum potuisse condignam præstare satisfactionem pro peccato, ob infinitam meriti sui dignitatem, nihilominus si necesse non fuit tanta illum pati etiam ad abundantiam, fuit saltem justum, & tamen eo non contentus adjecti virgis voluit etiam spinas, spinis clavos, clavos fel, felli acetum, absinthium, & lanceas denique. Quid igitur ille ageret amplius ad demonstrandum, odio sibi esse peccatum? & tu tamen illud audebis aliquando committere quasi per jocum? I nunc, & nega, si potes, hoc esse agere instar stulti. *Quasi per risum stultus operatur scelus.* Prov. 10. v. 24.

3. Considera Christum solvisse peccata nostra non in corpore duntaxat, sed & in animo, tantæ erant angustia, quas illorum causâ intus sustinuit, satis est, si dicam, solâ earum cogitatione sanguinem in horto sudasse. Nihilominus voluit hoc loco S. Petrus dicere potius: *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo, quàm in animo suo,* quia etsi dolores animi sint magis in se

R. P. Pauli Segneri Manna Anima.

sensibiles, dolores corporis sunt magis sensibiles quoad nos. & quam excusationem habebis, si non compungaris, dum Christum vides tui causâ tam diu tractatum? si etiam animus non simul esset afflictus mœrore, quem quidem cor humanum capere in terra possit, maximo, nunquid satis tibi est ejus intueri membra non quassata tantum, & saucia, sed lacerata? & tamen certum est, quemadmodum dolor internus assumptus est juxta mensuram ejus contritionis, quam de suis delictis habere oporteret omnes in hoc Mundo peccatores, ita externum fuisse susceptum juxta proportionem peccatorum, quas ipsi peccatis fuissent meriti. Istarum autem magnitudinem quis satis explicet? Itaque cum istas sola quantitate, vel qualitate tormentorum, quæ ipsi erant perferenda, æquare satis non posset, compensavit acerbitate doloris, quem in ipso potius quàm in alijs producebant, spectata exquisita delicati corporis teneritudine, quod à Spiritu Sancto elaboratum, & præ omnibus ad patiendum efformatum fuit. Si tu intus non sentis peccata à te patrata, cogita quantopere illa pro te senserit Christus Sapientia æterna. & si nihil eorum causa subeas pœnitentiæ externæ, vide, quantum pro te Christus subiverit, & saltem gratias age, si nolis compati.

4. Considera, potuisse Christum omnino expungere peccata nostra rigida corporis castigatione susceptâ per Cilicia, Jejunia, flagra, & alias ejusmodi macerationes corporis, pœnitentibus

L II III

tibus

ribus consuetas; quia etiam hoc casu dicere cum veritate potuit: *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo*, sed his ipse contentus non fuit, voluit ea expungere vel in ipsa Cruce confixus. *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum*, quia voluit summis doloribus etiam addi ignominiam, quod illis dignus haberetur à populo, non ignoras Crucis supplicium inter omnia delinquentibus eo tempore irrogari solita uti acerbissimum, ob universalem omnium osium convulsionem, ita haud dubiè probrosissimum extitisse. *Morte turpissimà condem-*

nemus eum. Sap. 7. v. 20. & hoc Christus tibi delegit ex omnibus, ut discerneret, an vel sic confandere posset quando, & demittere Spiritum tuum superbum. Et ecce causam, quare non dicatur: *peccata nostra ipse pertulit super lignum*, sed *peccata nostra*, quia videri debebat optime esse non tantum poenæ peccatis merito debita, sed & ipsa peccata; & ita hodie non moveris ad excessum charitatis ad eò ardentis? Ah quam merita rumpuntur petra, & intrusa dissolunt, ut doceant, quanto in illa dicitur exiltas!

Sabbato Sancto.

Humiliavit semet ipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis, propter quod & Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen. Philip. 2. v. 6.

1. **C**onsidera, uti primus actus superbiae est repugnare voluntati superioris: *Initium superbiae hominis apostatare à Deo*. Eccl. 10. v. 4. ita primum actum humilitatis esse, illi se subijcere. Unde ad probandum, quòd Christus humiliaverit se ipsum ut homo Patri suo aeterno, & sic omnem promeritus sit exaltationem, mox adducit Apostolus obedientiam, quam exhibuit, & qualem obedientiam, quae nunquam exerceri possit, maximè arduam: qualis est, quae facit contemnere vitam, contemnere honorem, quem vel ipsi vitæ meritò anteponas. *Humiliavit semet ipsum factus*

obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis. Quamdiu in ipso obedis, ad quæ alias tuas te genua inclinat, noli fidere tua ad paradisi promptitudini, vera probatio est, quando propria obviandum voluntati. *Non sicut ego volo, sed sicut tuas*, quæ hoc est in ligno exemplum, quòd Christus tibi dedit. Ad conspectum imminentis Passionis sentit equidem impleri horrore, tristitia, excruciatam fuit repugnancia naturæ, quam habuit, cum vidit suis se proditoribus in prædam. *Tristis est anima mea usque ad mortem*, Matt. 26. v. 38. Quis porro? an ideo fugit assultum? an

omni superatâ repugnantia non solum fortiter venientem expectavit, sed ultro occurrit. *Sciens omnia, quae ventura erant super eum, processit, & dixit eis: Quem quaritis? Jo. 18. v. 4.*

2. Considera, facile potuisse Christum absque peccato illi sese subtrahere obedientiae, quia Pater rigido praecipio non obligavit ad mortem subeundam pro redemptione Generis humani, & mortem quidem Crucis: solum indicavit, id sibi gratum fore, cetera paratus ab ipso acceptare pro redemptione tali, si placeret, aliud quodcumque ejus opus, etsi nec doloris illi causa foret, nec contemptus, adeo cuncta erant valoris infiniti, & tamen Christus, ut perfectissimam quae inveniri posset, exerceret obedientiam, cui sufficit nosse inclinationem vel nutum sui praesidis, mori voluit, & quidem in Cruce mori. Atque hoc est, quod hic insinuat Apostolus, dum ait: *Humiliavit semet ipsum, factus obediens &c.* dicit Christum humiliasse se ipsum, & non fuisse humiliatum, pro ut contigisset, si à Patre suo rigore praecipii fuisset adstrictus, ut modo adeo probroso se sineret occidi. *Nemo tollit animam meam à me, hoc est, à me invito, sed ego pono eam à me ipso. Jo. 10. v. 18.* Tu disce expectare praecipium non esse obedientis nobilis, sed servilis. Nobilis est quasi praecipio obsecundare nutui regentis, quod in caelo Angeli solent respectu Dei: *facientes verbum illius ad audiendum vocem sermonum ejus, non imperiorum, non jussuum, sed sermonum tantum Pl. 102. v. 20.* Quippe si obedientia in eo con-


sistit, quod quis se moveri patiatur vel ab ipso Deo, vel ab illo, qui ejus locum in terra obtinet, quis non videt, quanto facilius te moveri sinis: tantò in obediendo perfectiorem te futurum? *Admone illos, ita Apostolus praecipit, Principibus, qui sunt superiores majores, & Potestatibus; qui sunt eorum ministri, subditos esse: at quomodo? Disce obedire. Tit. 3. v. 1.*

3. Considera, illam obedientiam, quam moriens in Cruce Christus exercuit, non fuisse positam in sola executione Voluntatis Paternae, sed adimplendis illis omnibus praecipis, quae continebantur in lege, quorum tantus erat numerus. Et tamen moriendo potuit Christus verè dicere, eo actu quasi compendio illa omnia se fuisse executum, *consummatum est*, quamvis ut superior lege nulli sanè fuisset subiectus. Omnia praecipia antiquitus ad tres classes reducebantur, Moralium, Ceremoniarum, & Legalium. Enigieus quàm perfectè illa Christus in Cruce adimpleverit. Adimplevit Moralia, quia fundantur ista, uti est notissimum, in illis duobus adeo celebratis Charitatis erga Deum & proximum. Quis unquam in terra extitit, qui utcumque majore perfectione quàm Christus impleverit, dum inter tantos cruciatus mortem obje non alio fine, nisi placendi Patri suo Caestri, & redimendi genus humanum? Intuitu Patris dicebat: *Ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem &c. surgate eamus hinc, hoc est, ad locum passionis. Jo. 14. v. 31, & intuitu hominum dicebat etiam*

iam de se loquens. *Majorem dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Jo. 15. v. 13.* Adimplevit Ceremonialia: nam ista præcipue ad oblationes varijs occasionibus faciendas Deo, & sacrificia referebantur. quis autem nescit ista demum aliud non fuisse quam typum eorum, quæ Christus facturus erat in Cruce moriens? & ideo quis ea melius implevit, quam qui de se ipso solennissimum fecit sacrificium, tot alijs olim præsignatum? *Tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis. Eph. 5. v. 1.* Adimplevit Legalia: non ista summam dirigebantur ad resarciendas præfertim injurias alijs illatas, & damna restauranda. & quoad ista pariter dici potest Christus illa præ quovis alio adimplèssè, quia se ipso solvit modo adeo horrendo culpas non suas. *Quæ non rapui, tunc exolvebam. Pf. 68.* Tu interim vide, qualis fuerit illa virtus, quæ de Domino tuo in morte luculentius triumphavit. Obedientia fuit: quia, quantumvis verissimè ex amore sit mortuus: *Dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis. Eph. 5. v. 1.* noluit tamen, ut amor illum determinaret ad mortem, sed Obedientia, quam pro norma in omnibus habuit, quæ profalure Mundi suscepit. *In capite libri*

scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam. Deus meus voluit, & legem tuam in medio cordis mei. Pf. 39. v. 11. Et tu majorem habebis rationem aliorum virtutis, quam istius, à quilibet accipere ipse amor debet?

4. Considera, humilitati debent exaltationem, eoque majorem, quam major illa extitit. *De terris in quibus bibet, propterea exaltabit caput. Matt. 23. v. 12.* Cum igitur inventa non sit super terram humilitas par illi, quam excrucuit Dei filius, quando voluit pro homine mori, & in Cruce mori: equum erat illi succedere etiam exaltationem quavis aliâ majorem. *Exaltabitur, & elevabitur, & sublimis erit vultus. Il. 52. v. 13.* Unde persuasum esse debet hoc loco, sicut Dei filius se non humiliavit ut Deus, sed ut homo, ita pariter ut hominem fuisse exaltatum. Ut Deus semper eodem modo fuit altissimus, nisi quod tantâ humilitate, quâ se demisit ut homo, pronotatus sit, mundo etiam innotescere ut Deum & sic Divinitas, quæ in ipso latet, fuit exaltata non in se, sed in cognoscione aliorum. Tuarum in certum partem erit conferre aliquid ad exaltationem adeo justam. tunc autem confertes, cum ad eum tanquam ad ultimum finem cunctos dirigens affectus pro rati habebis, qualis revera est, hoc est, Deo tuo.



Dominica Resurrectionis.

Scio, quòd Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum, & rursus circumdabor pelle meâ: & in carne meâ videbo Deum meum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius. Reposita est hæc spes mea in sinu meo.
Iob. 19. v. 25.

1. Considera, cum S. Job non dicit: *scio, quòd Conditor meus vivit.* sed *Redemptor meus*, ipsum statim ostendere, de quo loquatur. De Christo loquitur, cujus resurrectionem jam tum illi revelatam colligimus pro summo in ærumnis suis solatio. Unde vides eum non dicere duntaxat *Credo*, sed *Scio*, quia majus illi lumen affulsit, quam simplicis fidei omnibus commune. Veruntamen quaecunque fuerit hoc lumen, numquid videtur tibi res planè stupenda audire hominem tot sæculis ante adventum Christi de resurrectione loquentem tali idiomate, quo aptius vix hodie post tot Concilia, & de hoc dogmate facta Decreta, formari posset? Hinc est, quòd equidem de rebus futuris, sed more Prophetico, quasi de præsentibus loquatur. *Scio, quòd Redemptor meus vivit.* & numquid hoc est, de quo meritò jubiles die tam felici, tam fausto? Iterum repete hæc ipsa verba, si ullo modo amas Redemptorem tuum, & dic: *scio, quòd vivit.* Et si vivit titulo tam specioso Redemptoris, utique non vivit amplius vitam laboriosam, inopem, ærumnosam, quam ducebat,

priusquam illam immolaret pro redemptione generis humani. neutiquam: sed vitam vivit penitus beatam, qualis est, quam recuperavit paulò antè suscitatus à morte. Ita est, quasi reversus ex acerrimo conspectu, adhuc servat suas cicatrices. sed cur servat? fortè quòd illas obducere non possit? ideo servat, ut videas, quantus fuerit amor te recuperandi. In eo gloriam suam posuit, in eo gaudium suum, quòd se Redemptorem tuum monstraret, & ideo retinere signa voluit; quasi nec vivere cuperet, nisi ut talis revivisceret. & tu tanto amore redemptus tam parùm illi respondes? *Judicasti Domine causam animæ meæ, Redemptor vitæ meæ.* Thr. 3. v. 58.

2. Considera, ut magis ostenderet se de Christo loqui, sed de Christo resurgente, postquam dixerat: *scio, quòd Redemptor meus vivit*, statim subjunxit grandem istam consequentiam, *& in novissimo die, hoc est, & ideo in novissimo die de terra surrecturus sum*, juxta communem interpretum explanationem. sed quomodo vir tantus ex vita Christi etiam immortali arguere potuit

potuit propriam resurrectionem? illam arguit equidem ex vita Christi sed resurgens. quia quemadmodum Christus Passione suâ debebat operari salutem nostram quoad remotionem malorum, quæ nobis erant debita, ita Resurrectione suâ debebat operari salutem nostram quoad consecutionem bonorum, quæ nobis erant indebita. Neque dicas etiam bona Christum nobis patiendi meruisse, quia, etsi patiendi meruit, uti certum est, non idcirco patiendi dedit ijs frui, sed resurgendo. Verum est Christum esse caput, non membra: *Ipse est caput corporis Ecclesia.* Col. 1. v. 19. & ideo Christus ultra tertium diem resurrectionem non distulit, terminum scilicet, qui sufficeret ad demonstrandum, se verè esse mortuum. *Tertia die resurget.* Nos differre necesse est usque ad extremum diem: *In novissimo die de terra surrecturus sum.* Nec immeritò: quia, etsi membra similia sint Capiti quoad naturam, non debent ideo sibi deposcere etiam similitudinem quoad excellentiam. Hinc est, quòd eadem Virtus Verbi, quæ Christum suscitavit, haud dubiè nobis quoque sit redditura vitam. *Qui suscitavit IESUM à mortuis, vivificabit & mortalia corpora vestra.* Rom. 8. v. 11. At in JESU hæc virtus operabatur sine ullius interven- tu propter Unionem Hypostaticam. *Apud te est fons vita.* Pl. 35. & ideo in ipso etiam debebat operari, quam fieri posset, celerrimè, nec differre gloriam corporis, quæ illi jam à primo suo ortu erat debita. In nobis

operatur interveniente Christo: *In Christo omnes vivificabuntur.* 1. Cor. 15. v. 22. & ideo tunc primum debet operari, quando ipse JESUS nos er- cabit, ut Judex, è sepulchro, et de corporibus nostris præmium suum particulare, & de eodem die, quæ est extremus, in novissimo die, sed quæ tardiore, eò lætiore, dum quilibet eorum tantò magis propriâ resurrectio- ne gaudebit, quanto pluribus videri communem. Tu interim lætatur cum Christo, cui contigit omnium, qui surrecturi sunt, esse primum, *Primogenitum ex mortuis:* ut si in omnibus ipse sit Caput, etiam in omnibus re- atur suo super omnes præmium espe- fico. *Ut sit in omnibus ijs præmium tenens.* Coloss. 1. v. 18.

3. Considera, ut resurrectio non fictitia tantum sed vera, necesse est, ut id resurgat, quod cecidit. Ita quantumvis videas Corpus homi- tam pulchrum, tam splendidum, et plenum majestare præ ipso sate, et putes id fortè esse diversum à eo quod paulò antè videbas tam delictum tam destructum, & laceratum in terrâ. Diversum est in gloria, non est diver- sum in natura. Atque hoc est quod pariter indicare Jobus voluit, cum in- junxit: *& rursum circumdabo pellis meâ.* Quippe cum pellis sua adeo co- set putrida ob plagas, quæ eam illi consumperant, volebat intelligi, ean- dem sibi reddendam sed novâ specie, hoc est, qualis erat in primo honore- tali, integram, & illam. Et si reddenda erat etiam pellis ipsa, quæ

est quasi merum corporis tegumentum, quanto magis caro, viscera, humores, ossa, nervi, fibræ, quibus partibus magis constituitur? Ita est, anima, dum in corpus eo die omnes suas vires transfundit, illud reddet agile, splendidum, subtile, & in corruptibile; sed ideo non faciet naturam diversam, solum faciet diversum in gloria: *Seminatur in ignobilitate, surget in gloria.* 1. Cor. 15. v. 43. Quod si verosimillimum est, quanto peius propter Deum habitum est corpus, cum caderet; tanto gloriosius deinde futurum, cum resurget, o quam parum oportet moveri ejus presentibus ruinis. Eant sanè carnes tuæ in frustra, si tantum Deus à te exigat, vel certè manu propria tractentur malè, & castigentur. quanto similior eris Christo in patièdo, tanto deinde eris similior in gloria. *Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus; simul & resurrectionis erimus.* Rom. 6.

4. Considera, quantumvis ejusmodi gloria tanta futura sit, non ideo gaudendum tibi, quod ejus causam restituendum sit corpus: gaudendum potius, quod vi illius oculi tui consecuturi sint Beatitudinem suam propriam, eamque summam, qualis erit videre JESUM, & eo satiari, ac delectari. Non possunt illi unquam assurgere ad videntum Deum in natura sua sublimissima, simplicissimaque, & ideo eum videbunt, qualis est in carne assumpta. Id verò nonne maximum est? imò hoc

ipsum est, quod hoc loco voluit Job speciatim exprimere, cum dixit: *Et in carne mea videbo Deum meum, hoc est, Iudicem meum* (prout hic habetur ex radice hujus nominis *Deus*) *quem visurus sum ego ipse; & oculi mei conspiciuntur sunt, & non alius, hoc est, non alius à me.* Non gaudebat ille resurrectione suam futuram, quod in ea cerne- ret resfloretere corpus suum ad eò vulneribus conscissum. Ideo gaudebat, quod in eo statu posset indulgere affectibus, admirandi Christum, adorandi, plaudendi, jubilandi, unde tot modis hoc ipsum repetit. Enimverò an non videtur hæc cogitatio afferre gaudium immensum? tu, tu ipse hisce oculis, quos nunc fronti infixos geris, videbis per omnem aternitatem JESUM, qui vel semel & obiter tantum visus tot sanctos fecit admiratione attonitos. & his ipsis oculis dignaris adhuc videre terram hujus quisquilias? serva eos usui meliori, & dic, hoc esse desiderium tuum videre JESUM, imò hanc esse spem tuam. *Reposita est hæc spes mea in sinu meo.* Nosti sinum esse scrinium, in quo conduntur omnium cogitationum gratiora cimelia: hanc conde; & cum vitæ hujus mala te affligunt, illam utere pro solatio, & dic intus, illa mala cuncta nihil esse respectu honorum, quæ per ea consequeris. *Non sunt condigne passionibus hujus temporis ad futuram gloriam, que revelabitur in nobis.*

Rom. 8. v. 19.

Ascen-

Ascensio Domini.

*Expedit vobis, ut ego vadam: si enim non abiero, Paraclitus non
veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos. Ioan. 16.
v. 17.*

1. **C**onsidera, possidenti omne bonum opus non esse, ut ad illud acquirendum se moveat. Ideo Christo, qui Viator simul exitit & Compræhensor, opus non erat, ut fieret beatus, Cælum conscendere; maxime postquam fuscitatus à morte finivit Viam, & vel in terra integram consecutus est beatitudinem ab anima etiam in corpus transfusam. Non poterat ergo Christus dicere Apostolis, ut eos solaretur imminente jam abitu. *Expedit mihi, ut ego vadam.* Idcirco necesse fuit dicere: *Expedit vobis.* Ad summum, quoad se dicere ille potuit, conveniens esse, ut vadat; *Convenit mihi*, quia terra non est condignum gloriosis corporibus diversorium, at quoad ipsos, & in ipsis ceteros fideles dicere potuit esse expediens; *Expedit vobis*: ut qui nihil sui, cum vaderet, illis subtraxit nisi præsentiam, ceterum manebat cum ipsis, quamvis occultus in sanctissimo Sacramento. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consumationem sæculi.* Matt. 28. v. 20. Ex alia parte, nisi suam illis subtraxisset præsentiam, de terra abiens in cælum, tantum præstare boni non poterat, quantum eâ subtractâ. Tu interim admirare hoc loco ingentem amo-

rem, quo Christus ferebatur in locum servos; quippe cum posset causam sui abitus illis allagere convenientiam ex parte sui, & dicere: *Convenit mihi, ut ego vadam*; maluit allegare potius commodum, quod redundaret in ipsos, & dicere: *Expedit vobis.*

2. Considera, causam, quare magis expeditur Apostolis Christum abire. eam quærere non est necesse, si quidem ipse Christus ore proprio illum pronunciat. quia, nisi abiret, Spiritus sanctus super eos non descenderet: at si abiret, ipse illum erat multatus. *Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos, si autem abiero, mittam eum ad vos.* Quid ita? quod dicat, si abiret, se fore, qui eis mittat Spiritum sanctum, statim cognoscitur, ipsius esse illum mittere. *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis &c.* Ioan. 14. v. 16. Sed cur adjungit, eum non fuisse venturum, nisi abiret? An forte dare illum non potuit Apostolis, si versaretur in terra? Certum est dedisse in terra quamvis non eâ plenitudine cum dixit: *Accipite Spiritum sanctum quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* & *quorum retinueritis, retenta sunt.* Jo. 20. 22. quare ergo non dare petente in

terram potuit cum omni plenitudine? Potuit, quis dubitet? sed non debuit: quia ratio exigit, ut Regum quilibet pergat prius triumphans ad regni sui adeundam possessionem, & deinde ejus pandat araria. *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus.* Eph. 4. v. 7. Prius duxit captivitatem, tum dedit dona, non prius dedit dona, deinde duxit captivitatem, quia primum est triumphare, posterius donare, & non primum donare, posterius triumphare. Hinc est, quod loquens Evangelista de tempore, quo Christus promittebat Mundo Spiritum Domini pleno alveo instat fluminis effusum, sed nondum dabit, ideo diceret non dedisse saltem eam plenitudine, quia nondum erat adeptus gloriam. *Nondum erat Spiritus datus, quia IESVS nondum erat glorificatus* Jo. 7. v. 39. Accedit, quod, si Spiritus sanctus descendisset in discipulos, Christo adhuc in terris versante, videri potuerit non tam missus a filio, quam datus a solo Patre in gratiam, aut ad preces Christi, debebat autem manifeste constare, non solum Patrem fuisse, qui mitteret, sed & Christum. Ideo Christum prius eo oportebat ascendere, ubi erat Pater. En igitur veram causam, cur dicat: *Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos, si autem abiero, mittam eum ad vos*, quia talia erant in hoc negotio facta Decreta tanquam justissima. Quo posito numquid causam habuit dicendi Apostolis, *expedit vobis, ut ego vadam*? Expediebat maximè, quia si non abiret, pergerent

R. P. Pauli Segneri Manna Anima.

equidem ejus frui presentia sensibili, ac Spiritum sanctum non acciperent, eo saltem modo, quo redderentur instrumenta idonea ad conferendam Universo sanctitatem. Porro si abiret, ejus in carne presentiam, qua ipsis deerat, compensasset fides viva de ejus Divinitate in omnibus assistente, spes firmior in ipso, & charitas in ipsum ardentior, an non erant hæc bona, quæ abunde supplerent defectum presentia: quoad corpus? & hæc tu quoque disce aestimare magis quam teneros affectus, quos forte experiris, dum in Oratione suaviter conversaris cum JESU Christo; nam ideo potissimum hodie illum vides in cælum ascendere, ut deinceps procedas in Fide, Spe, & charitate. In fide, dum credis in eum, quem non vides. *Etsi cognovimus secundam carnem Christum, sed nunc jam non novimus.* 2. Cor. 5. v. 16. In spe, dum animaris ad eam calcandam viam, quam ipse monstravit. *Ascendit enim pandens iter ante eos.* Mich. 2. v. 13. In Charitate, dum accenderis, ut illum solum velis in cælo regnantem, & nihil aliud extra ipsum. *Quæ sursum sunt, querite, ubi Christus est in dextera Dei sedens, quæ sursum sunt, sapite non quæ super terram.* Coloss. 3. v. 1.

3. Considera fieri posse, ut abutatur aliquis hoc loco ad eximendum tibi affectum erga sacrosanctam Christi Domini nostri Humanitatem, aut certè ad abstrahendum animum à tenera adhesionem ad ipsam, quasi ista impedimento futura sit, ne perfectum induas Spiritum: tantòque magis, quod

Mmm mmm

S. Au-

S. Augustinus exponens verba presentia dicta Apostolis. *Expedi vobis, ut ego vadam, si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos, ea velit aequivalere his alijs: Non potestis capere Spiritum, quamdiu secundum carnem persistitis nosse Christum.* Tract. 94. in Joan. nihilominus ne patiaris te trahi in persuasionem tam malignam: non enim affectus ad Humanitatem Christi impedimento fuit, quod minus Spiritum acciperent, secundum Augustinum, sed gustus ejus delectationis sensibilis, quem ex ejus presentia capiebant, ob amorem naturalem, honestum quidem, sed carnis non satis defacatum ab eo, qui est superior natura. nam & sanctissima Virgo amore naturali ambiebat Christum, eoque majore, quam ulla Mater quinquam filiorum, cum amor iste fuerit sanè justissimus. Sed hic ipse amor perficiebatur ab altero transcendente naturam ad gradum quendam altissimum, Unde sicut, cum vidit se orbatam presentia dilecti sui JESU amissi in templo, totius tridui spatio anxie quaesivit, afflicta, turbata est, & quasi querula illi aula est dicere: *Fili, quid fecisti nobis sic?* ita cum audivit id factum Divini obsequij causa, statim a quievit: imò cum deinde necesse fuit eo penitus privari aliorum bono, se privari est passa, nec abesse tres dies duntaxat, sed annos integros, quin doleret; imò cum videret illum ultro procedere in atrocissima genus mortis, non prohibuit, sed ad Calvarium usque secuta

est, parata vel in Cruce suffigere manna propria, excarnificare, dilanare, si ita exigeret voluntas Patris. Eo virtutis non erant progressi Apostoli: imò erant affixi Christo, ut durum videtur cum deferere, & ire huic quidem ad Parthos, alij ad Melopotamos huc ad Medos, illi ad Indos, quamvis nomen ejus annunciatum dicerent. Ideo Christus abiebat abitum suum fore ipis necessarium, ut mitteret Spiritum Sanctum, quia, cum iste venturus esset, ut faceret praecoes universi, id impleri non poterat, nisi illi superarent affectum: honestum quidem, sed naturalem, qui eos obligabat, ut cuperent continuo versari cum ipso, eum videre, audire, comitari. Atque hoc sensu Doctor Angelicus S. Augustinum explicans loco adducto ita dicebat: *Sciendum, quod Augustinus exponens illud, Jo. 16. Expedi vobis, ut ego vadam &c. dicit, quod hoc ideo erat, quia Discipuli carnaliter amantes Christum afficiebantur ad ipsum sicut carnalis homo ad carnalem amicum: & sic non poterant elevari ad spiritualem dilectionem, quae etiam praesente multa facit pati.* in Ep. 2. ad Cor. c. 5. lect. 4. Quamquam quis non videt Spiritum Sanctum suo in Apostolos adventu facile potuisse effluere, ut quamprimum vincerent affectum illum nimium, quo ambiebant praesentiam Christi, & optaret eorum quilibet ipsum relinquere propter ipsum dicens cum Paulo: *Optabam ego esse anathema esse à Christo pro fratribus meis?* atque ideo ratio adducta, libe-

ne perpendimus, vni habet planè exiguam. Sed demus habere maximam, quid hoc spectat ad amorem Humanitatis Christi Domini nostri ab oculis nostris penitus remotæ, & ad amorem illius etiã intimum, atque ex imis præcordijs profectum? an fortè hoc impedit, ne patiamur pro ipso, ne ultro citroque commeantes ibi laboremus, ubi major ejus gloria exigit? Sensibile, quod erga Christum experiebantur Apostoli, fundabatur in sensibus corporicis eum videndi, audiendi, & alia faciendi illis usitata, qui inter sese humano modo conversantur. Sensibile, quod nos percipimus, totum fundatur in Fide, & ideo plurimum differt. Ceterum an putas Apostolos jam plenos Spiritu Sancto non habuisse continuè præsentem, cum vagi discurrerent per mundum, in intellectu, & imaginatione sua Humanitatem Christi Domini nostri, quam aliquando tam propè spectabant, imò & speciem ejus corpoream, lineamen-

ta vultus, incessum, & quidquid in eo venerabatur humano augustius etiam in aspectu? Erras sanè, si aliud iudicas. imò illorum Princeps S. Petrus sola recordatione Præsentia Christi, qua fruebatur, semper solvebatur in lacrymas, tanta erat teneritudo, quam senerat. *Petrus ad eum afficiebatur ad Christi corporalem presentiam, quam ferventissime dilexerat, quod post Christi Ascensionem, cum dulcissima presentia, & sanctissima Conversationis memor erat, totus resolvebatur in lacrymas, ita ut gena ejus viderentur aduste.* S. Thom. in Jo. c. 17. lect. 2. Itaque ne finas sententiã tam pulchrã te perverti, & ab illo avelli, quod tunc debent esse in terris deliciae, à continua scilicet conversatione cum JESU Christo non solum ut DEO, sed etiam ut homine, quippe cum fides Christiana te obliget, non solum ut DEUM ames, sed ob id imprimis ames, quod operari in terra factus homo amore tui dignatus est.

Dominica Pentecostes.

Charitas DEI diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Rom. 5. v. 5.

1. **C**onsidera jam inde à principio Mundi Amorem Domini nostri erga nos dedisse præclara documenta sui, ut nos ad redamandum obligaret. Porro si in illis, fuit instar fluminis benefici, quod majora semper sumpsit incrementa, hodierno die dici potest

ruptis aggeribus denique inundasse. Unde exclamat Apostolus: *Charitas DEI diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* quia, si advertis, quidquid Dominus jam inde à principio egit pro nobis, totum referebatur ad hunc finem dandi

Mmm mmm 2

di

di nobis aliquando Spiritum suum Divinissimum, qui nos transformando in alios homines non amplius secundum carnem ullo animi affectu, sed secundum Spiritum viventes, faceret, quàm fieri potest, sibi simillimos. Addeò ut vel ipsa humanæ carnis assumptione id potissimum spectaret, ut nobis mereretur possessionem Spiritus Divini. quæ gratia nimium quantum superat vilitatem nostram, maxime post peccatum. & ideo hodiernus favor dici potest esse complementum ceterorum super terram. Post hanc gratiam aliam DEUS non habet reliquam, quàm ut beatam sui visionem nobis in Cælo largiatur. Quomodo igitur te satis respondere putas favori tam ineffabili, qualis hic est? inò vix illum agnoscis, quia nescis, quid sit vivere non amplius secundum carnem, sed secundum Spiritum. Vive, quoad potes, secundum Spiritum, & senties, quàm suaves sint ejus fructus, ne uno quidem excepto. *ò quàm suavis Domine Spiritus tuus in omnibus!* Sap. 12. v. 1.

2. Considera, ingens hoc desiderium, quod DEUS ostendit, faciendi nos similes sibi, id unum spectare, ut ipsum inter & nos perfecta statuatur amicitia. At ista viribus nostris obtineri non poterat; nam si istis eò eniti non potuimus, ut DEUM videremus, aut cognosceremus in se ipso, & non tantum in suis effectibus; quanto minus poteramus eniti ad convivendum, & conversandum cum ipso in omnigena participatione bonorum, qui est si-

xis intentus à perfecta amicitia? Cui ergo proprijs viribus ejusmodi amicitiam consequi non possemus, necesse fuit eam à DEO pro mera bonitæ sua nobis donari, & ut dici solet, infundi. quare dicit Apostolus: *Charitas DEI diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Atque istud est miraculum inenè maximum. quia Monarcha terrenus potest hand dubiè etiam ipse extollere, si velit, ad amicitiam suam pastorculum illum vilissimum, quare dignus quidem esset juxta conditionem suam rusticam veritari in familiario Aulæ. Arnon ideo potest illi infundere tales dotes internas, que ipsum constituant amicum ad tantam amicitiam congruè intrinsecum solum dare potest externas. DEUS autem potest infundere, & et ipsa infundit juxta illud: *Participatio facta sunt Amicitia DEI propter disciplinam dona commendati.* Sap. 7. v. 14. Et hinc vides non tantum dixisse Apostolum: *Charitas DEI diffusa est in omnibus*, uti dicere poterat, sed dicit: *diffusa est in cordibus nostris*: quia per ipsum hujus Divinissimi Spiritus apparimus partes illas intrinsecas constituentes, quæ faciunt nos esse amicos dignos DEO, *dona disciplina.* Et quid possit auferri stupendum magis.

3. Considera ad hæc omnia expromenda videri posse Apostolo suffragium fuisse, si diceret: *Charitas DEI diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* At illi satis non fuit dicere *diffusa est*.

cere maluit *diffusa*, ut ostenderet, talem infusionem intus in anima nostra ita se dilatare, ut instar magnæ eluvionis inundet, per septem dona Spiritus Sancti, quæ sunt quasi toridem ostia Nili tam vasti. Quippe cum omnes genuini amici DEI semper debeant esse prompti ad operandum non solum secundum id, quod dicitur ratio (nam ad hoc sufficiunt virtutes) sed etiam secundum inspirationes, & impulsus, quos varijs occasionibus modo quodam particulari largitur DEUS, virtutibus addantur dona modò memorata. En igitur, ut ista occupant totum hominem, & quamlibet ejus partem perficiunt. Quoad Intellectum primò perficiunt in ipso Rationem specularivam: & sic ad capiendam facilius ad modum simplicis intelligentiæ ea fidei mysteria, quæ DEUS Justo revelat, accepit is donum, quod dicitur Intellectus: & quò facilius de iisdem mysterijs disserat, accepit donum scientiæ, & donum sapientiæ; quarum illa ex rationibus inferioribus, ista ex superioribus ratiocinando concludit. Perficiunt deinde etiam rationem Practicam. & sic, ut facilius judicet, quid justo hac illave occasione agendum, quò certius sequatur DEI nutum, accepit donum Consilij. Quoad Voluntatem deinde, ut velit ea bona, quæ ob reverentiam Dei Patris universalis faciendâ sunt alijs, datur Justo donum Pietatis. & ut velit, quæ etiam in se sunt faciendâ, datum est donum Timoris, & Fortitudinis, istud quidem, ut superet terrorem,

quem excitare possint adversa in facultate Irascibili, ad eum retardandum à bono: illud autem, ne sinat se pellici in facultate Concupiscibili à rebus delectabilibus, quæ blandè trahentes ad malum volunt eum hæere quasi piscem ad hamum. En igitur, ut verè *Charitas DEI diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*. Quacunque ex parte Justum consideres, sive Intellectus, sive Voluntatis, sive Irascibilis averfantis malum, sive Concupiscibilis appetentis bonum, videbis eum ubique instructum illis dotibus, quæ *disciplina dona* vocantur, quia eorum perficiunt. Nunquam igitur tua te vilitas terreat, quia si Spiritus Sanctus hisce suis donis cor tuum implevit, illæ ipsæ virtutes, quæ tibi debiles videntur ad constituendum perfectum amicum DEI, ò quantum hisce donis, quæ dictis virtutibus superveniunt, accipient incrementum!

4. Considera sine dubio Spiritum Sanctum esse, qui tantam nobis affert adventu suo copiam donorum. Nichilominus non ideo illi soli obstringimur, sed Patri simul & Filio, qui illum dant nobis. Unde Apostolus hic dicere noluit: *Charitas DEI diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui venit in nos, sed qui datus est nobis*, ut meminerimus, quomodo tam Pater quàm Filius æqualiter concurrant in dando nobis tanto dono, quantum est eorum Amor Divinus. Amor primum donorum vocatur: & ratio est, quia quisquis amico cetera

M m m m m ; dat

dar omnia, ideo dat, quia prius dedit amorem. Sed quomodo ex nobis poteramus mereri Amorem Divinum? oportebat voluntariè nobis dari à Patre & Filio, à quibus procedit. *Datus est nobis.* quanquam ipse Spiritus Sanctus datus simul est & dans, donum & donans, ut loquitur S. Augustinus. Ideo non minus illi obstringeris, quòd datus tibi sit à duabus reliquis Personis Divinis, quam si solus dedisset: imò etiam magis, quia ab ipso est, quòd etiam illæ te ament, quare te Pater amat, quare Filius, nisi vi summæ suæ Bonitatis? & hæc summæ illorum Bonitas est Spiritus Sanctus. Hunc igitur implora, quantum potes, si velis amicitiam frui perfectam cum tota Sanctissima Trinitate, quia per eum illa tibi conceditur. *Charitas DEI diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.*

5. Considera quinque esse signa, unde dispicias, an quis perfectam consecutus sit amicitiam. 1. Velle amico, ut sit. 2. velle, ut etiam illi bene sit. 3. non solum velle, ut ipsi sit bene, sed id etiam procurare pro viribus. 4. dulce cum ipso habere commercium. 5. In omnibus cum ejus consentire arbitrio. Vide nunc, an ista signa respectu DEI in te ipso cognoscas: & si agnoscas; tunc enim verò agere gratias poteris de tanto dono, quale est solus hic sanctus amor. *Gratias DEO super inenarrabili dono ejus.* 2. Cor. 9. v. 15. Esto, quòd gaudeas DEUM esse, qui est; Esto etiam gaudeas de ipsius bonis tam internis,

quàm externis, & forse pro remittente virum etiam aliquid procurare. ut quàm libenter deinde cum eo agis in oratione? scias nullam te amicos debetari magis, quàm si possint convivere invicem, & familiare habere commercium. Tibi igitur quomodo grave est interdum meminisse aliquando tantum in corde DEUM esse? non est hoc signum amicitie perfectæ. Sed ut omnia quomodo cum ipso voluntate consentis, adimplendo quicquid precipit, & amplectendo, quidquid designat de te? hoc sane signum est perfectæ amicitie certissimum, & ideoque alijs nobis designatum à Christo. *Non amici mei estis, si feceritis, quæ precipio vobis.* Jo. 15. v. 3. Atque in isto quomodo te sentis radicatum? si Charitas DEI diffusa est, quasi aqua madans, in corde tuo, necesse est ea illud esse emollium, ut non repugnet alio modo Voluntati Divine. & ideoque semper stude magis hunc invocare Divinissimum Spiritum, ut bono vehementer cælitus aspirer, qui ipse est, qui, dum aquarum eluvioni datur impotum, facit, ut ista demum petent etiam in corda quævis durissima, eoque emolliat. *Timebunt, qui ab occidit nomen Domini, & qui ab ortu solis gloriam ejus, cum venerit quasi fuscus calentis, quem Spiritus Domini cognovit.* Isa. 59. v. 19.

6. Considera etiam postis omnibus his signis amicitiam cum DEO notandum esse perfectam, si in ea inimpetanda proprio movearis commodo, ille solus spectandus est. Itaque si verè

*Charitas DEI, & non alia charitas diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis, oportet amorem nostrum erga DEUM non esse dissimilem amori DEI, erga nos, sed eidem omnino conformari, cum eidem planè sit Spiritus, qui cum in Domino constituit, in nobis producit. Verum est quoad substantiam hos amores differre, cum Divinus sit increatus, noster creatus: at in operando oportet esse simillimos, cum inter eos aliud discrimen non debeat intercedere, quàm quod est inter ignem, & ferrum ignitum. Jam verò hoc DEO proprium est, ut nos amet propter nos, & non propter lucrum aliquod suum, vel commodum. *Quid prodest DEO, si iustus fuerit?* Job. 22. v. 3. & sic patenter necesse est DEUM amari à nobis, primam nostram regulam. Si illum amemus non ipsius, sed nostri causâ, jam amor noster dici nequit amor amicitia, sed Concupiscentia. atque hinc discite, quare Charitas tantò major sit Virtus, quàm Fides & Spes, licet etiam istæ Virtutes sint Theologicae. Ratio est, quia, quamvis omnes ten-*

dant rectâ ad DEUM, tanquam ad ultimum finem nostrum supernaturalem, Fides tamen tendit, quatenus à DEO nobis venit noticia veri: Spes tendit, quatenus ab eodem nobis venit consecutio boni, & sic in utraque spectamus denique nostrum aliquod emolumentum. at Charitas tendit in DEUM, ut in illo sistat, non ut quidquam recipiat, & hinc virtus est adeò præ ceteris excelsa. *Major autem horum est Charitas.* 2. Cor. 13. Enigetur, in quo præcipuè tibi laborandum, si revera tuum velis præstare debitum, in eo, ut DEUM ames propter DEUM, & non ob alium finem, memor, quòd neque DEUS ex beneficio, quod tibi confert, quidquam sumat pro se ipso. Neque dicas illum sumere gloriam suam. nam hoc ipsum ostendit maximam amoris præstantiam, quòd gloriam suam in eo constituerit, ut faceret tibi bene. Ceterum si DEUS semper operetur propter gloriam suam, uti ad perfectionem operis necessarium est, non idcirco operatur ob ullum suum commodum.



IN-